

Paul Lütkemann    Andreas Lütkemann

## **Theses Miscellaneae Philosophicae**

Rostochii: Kilius, [1674]

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730587967>**

Druck    Freier  Zugang



R. 11 phil 7674

Paul Lütkenmann  
Andreas Lütkenmann





42  
15

I. N. 7.  
THESES  
MISCELLANÆ  
PHILOSOPHICÆ.

Quas  
Adspirante DEO Ter-Opt.  
Maxim.

Consentiente Amplissimâ Facultate  
Philosophicâ publico Eruditorum examini  
ad diem 16. Maji subjicient

PRÆSES  
M. PAULUS LUTKEMANN,

Et  
RESPONDENS  
ANDREAS LUTKEMANN


Fratres, Spandoâ Marchici.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr.

1674.



12

MISCELLANEA  
PHILOSOPHICA

A Dispensatio Deo Trinitate

Maxim

Contentione Amphitheatro

Intellectus & Liberi Arbitrii

admiranda M. Hermann

Præses

M. PALLIUS LUTHEMANN

Et

R. Respondens

A. ANDREAS LUTHEMANN

Præses & Respondens

Amstelredami in Officina Typographica

ROSTOCKIENSIS

Typographi Johannis & Christiani Typogr.





I. N. D. J. C. A.

PROOEMIUM.



Philosophiæ Studium à plurimis hoc seculo non in utile ac minus necessarium tantum, sed noxium etiam Theologiæ Studio haberi solet. Nostri quidem Instituti ratio non concedit hæc prolixè hoc loco excutere, nihilominus commiseratione potiùs, quàm odio tales judicamus dignos ob spississimas ignorantia tenebras, quæ mentem eorum invasere. Objiciunt Apostolorum simplicitatem, sed quid hæc ad illorù ignaviam & ruditatem excusandam? Alia nunc conditio, multo sudore ac labore rerum Theologicarum scientia comparanda est, maturè ergò eligenda sunt media, quorum beneficio metam præfixam pertingere valeamus; Inter ea verò non ultimum sibi vendicat locum Studium Philosophicum eruditissimorum calculo hætenus confirmatum. Sed ad rem! Proponemus Theses quasdam, Tu vero DEUS Clementissime adesto gratiâ Tuâ ut quod in Tuo nomine ceptum, feliciter quoque ad finem deducatur, in Tui nominis gloriam & nostram salutem.

A 2

THES.

THES. I.

**P**hilosophia absolutè, in se, & ratione primæ  
 originis spectata, nequaquam est inventum  
 Ethnicum.

Ex Theſe.

S. 1.

**U**T eò facilius de sensu hujus Theſ. constet, ambiguitas quæ in  
 verbis delitescit, detegenda erit. Nota proinde ( 1 ) quod Ter-  
 minus Philosophia sumatur vel latissimè, vel latè, vel strictè, vel de-  
 nique strictissimè. Latissimè sumitur pro omnigena eruditione &  
 Doctrina, & sic suo sub ambitu comprehendit etiã Artes Mecha-  
 nicas, prout talis acceptio notatur in *Arist. 6. Ethic. cap. 7.* Latè adhi-  
 betur pro complexu omnium Disciplinarum à Facultatibus superio-  
 ribus, & Artibus Mechanicis distinctarum. Strictè denotat Disci-  
 plinas Theoreticas tantùm, ut apud *Arist. 2. Metaph. cap. 1.* Strictis-  
 simè significat Metaphysicã tantùm quæ ab *Arist. 6. Metaph. c. 1* di-  
 citur Philosophia prima, & *4. Metaphysicorum capite 2.* absolutè  
 Philosophia: h. l. terminus non sumitur latissimè, neque stri-  
 ctè vel strictissimè, de latè Nota ( 2 ) quod aliud inventum sit cum  
 fundamento, aliud absque fundamento, in Theſi non illud, sed hoc  
 intelligitur, quod nihil aliud est, quam fictitium & nulla habet de-  
 monstrandi principia. Talis E. inde emergit status controversiæ:  
 An Philosophia latè sumpto termino, quatenus absolutè, in se, & ra-  
 tione primæ originis consideratur, sit purum putum figmentum  
 Ethnicum? Et hoc negamus in Theſ. Aliæ enim sunt causæ à qui-  
 bus nobilissimum hoc donum primam ducit originem. Prima &  
 Universalis Causa est DEUS fons omnis Sapientiæ, ab hoc primus  
 omnium Adamus Sapientiam ac facultatem intelligendi accepit, ut  
 ita omnium primus Philosophus rectè salutetur.

S. 2. Lapſo v. Adamo, Sapientia illa non quidem ad posteros est  
 transmissa, verosimile tamen est eos usquè ad Noachum studio ac  
 labore. aliqualem sapientiam recuperasse, quod si enim Testimo-  
 nio Josephi fides habenda, nepotes Sethi syderalem Scientiam ac  
 celestium rerum cognitionem excogitarunt, & ne inventa sua ex  
 hominum notitia dilaberentur, & prius perirent, quàm pernotesce-  
 rent, excitatis duabus columnis utrique sua inventa inscripserunt.  
*v. d. Joseph lib. 1. Antiquitatum Judaicar. cap. 2.*

S. 3. Post tempora Noachi non minus propagata est hæc Sa-  
 pien-

pientia ab Hebræis, et si enim eorū scripta jam non sint æquæ ad ma-  
 nus, ut Græcorum & Latinorum, paucissima tamen illæ reliquiæ,  
 quæ in Scripturis extant, satis loquuntur de amplitudine illius. Fac-  
 tum illud Jacobi *Gen. 30.* quid aliud est, quàm insigne specimen ma-  
 giæ naturalis. Non disputabimus h. l. num factum sit in fraudem  
 Labani, nec omninò negabimus benedictionem divinam singulari-  
 ter hinc plura contulisse, quàm forsitan alio tempore ac loco; omni-  
 no verò inter miracula referendum esse hoc factum, nulla svadet  
 necessitas, imprimis, cum conditiones quæ ad miracula requiruntur  
 commodè abesse posse videamus; sunt verò illæ (1) ut à nullis  
 agentibus naturalibus, effectus ille sit producibilis (2) ut sit supra  
 naturalem potentiam subjecti (3) ut sit insolitum, ubi tamen nota  
 postremam hanc conditionem cum prioribus simul junctam demum  
 esse verum miraculi signum. Judicet E. æquus Lector ane omnes  
 hæc conditiones abesse queant, ut nihilominus talis producat effectus.

§. 4. Ab Hebræis transmissa est Philosophia ad Chaldæos apud  
 quos Artes liberales ratione temporum priorum in summo flore  
 fuisse, testantur Historici; quam vis negari non possit successu tem-  
 poris degenerasse in eminentiam Sapientiam. Vid. *Peucer. de Divi-  
 nationum* generib. p. 108. Ab his ad Ægyptios, Persas, Græcos &  
 denique Latinos pervenit.

§. 5. Frustra E. à quibusdam Græcis prima tribuitur Philo-  
 sophiæ inventio, cum ex hæcenus dictis ad oculum pateat longè an-  
 te Græcos extitisse Philosophandi rationem. Attamen ut aliquan-  
 to prolixius de Philosophia Græcorum agamus, paucula subjicere  
 animus est. Nolo tamen adducere quomodo ipse Aristoteles à  
 Laurentio Valla, Heinrico Cornelio Agrippa & aliis furti accusetur,  
 quod sibi vendicet quæ ab aliis sumpsit, talia enim legi poterunt  
 apud *Thomasmum in Plag. literario* §. 364. Mittam etiã quod ex *Ma-  
 gneni Democrito reviviscente* p. 23. *Bassone* & cæteris adduci posset,  
 scilicet Aristotelem ex ambitione in Philosophorum Principes adeò  
 debacchatum esse, ut uno incendio congestas triginta sex seculis di-  
 vitias absumpserit, hæc enim, quia ab aliis adhuc in controversiam  
 trahuntur, nolumus facere nostra. Sufficiant testimonia domesti-  
 ca. *Clearchus*, ut eum adducit *Alstedius lib. 1. Pragognitor. Phi-  
 losophic.* c. 14. p. 87. in libro quem de somno memoriæ prodidit,



refert, quod cum Aristoteles disceptaret cum Hyperochide, dixerit : Judas erat qui ab altioribus Asiae locis ad maritimas Asiae civitates descendens & lingua & animo Graecus fuit. Cumquæ accidisset ut eo tempore nos quoque in maritimis Asiae locis versaremur, Philosophiae amore ad nos spontè venit, qui multò plura nobis attulit, quam acceperit. Plato in Epimionide Syris & Aegyptiis propter æstivi temporis in utraque Regione serenitatem semper Astrologiae attribuit inventionem, & in Timæo Graecos comparatos cum Barbaris, qui ipsi sunt gentes orientales, vocat pueros. vid. præterea Polydor. Virgil. de Inventoribus rerum lib. 1. cap. 16. Alsted. l.

## THESES. II.

Principia philosophica absolutè & in se spectata verè non contradicunt Theologiae.

Ἐκ θεοῦ.

Dico (1) absolutè & in se, distinguend. enim inter Philosophiam ratione essentiali & existentia spectatam, h. m. quandoque, illo, nunquam contradicit. Dico (2) verè, distinguend. enim inter contradictionem veram & apparentem, hæc nonnunquam occurrit, non illa, & proinde distinguend. porro inter cursum naturæ ordinarium & extraordinarium, ad illum Philosophia est adstricta, ad hunc, Theologia. Contrarium olim docuere *Hoffmann.*, *Schilling.* eorumquæ affecta : nec hodie ab hoc vitio immunes habendi sunt *Sociniani* qui audacter & indefinenter clamant per Mysterium Trinitatis destrui Principia Philosophica. Falsitas verò hujus sententiæ satis apparet tum ex Causa efficiente horum principiorum, tum ex insigni usu quem habent in Theologia. Efficiens tum Philosophicorum, tum Theologicorum principiorum est eadem, DEUS gloriosus, nulla ergò in his contradictio locum habere potest, nisi ipsimet DEO illam affingere velimus, quod impium! Usus in Theologia est maximus, Didascalicus & Elencticus, quod nemo facile negabit, nisi planè hospes sit in controversiis hoc seculo agitatis. Confer, *Græner. de unica veritate.* *Jacob. Martin. in Questionib. illustribus Cent. 1. quest. 1. & lib. 2. de Tribus Elohim c. 43, 44. Maxime Reverend. Amplissimum D. D. Müller in Theolog. Scholastic. cap. 8. pag. 80. & seqq. Kesler in Epist. dedicat. Paris general. & special.*

cial, Methaph. Photin. Meissn. P. 1. Philosoph. Fabr. Sect. 4. cap. 2.  
quæst. 3. Stratemann. in Theatro Metaph. c. 27.

### THESIS. III.

Ens & modus entis strictè loquendo non differunt numero.

Ex Jeno.

Ansam dedere huic controversiæ Sociniani in Articulo de Trinitate. Nos controversias Theologicas relinquemus Theologis dirimendas & Metaphysicè agemus, inquisitioni in quantum hæc controversia affirmari vel negari possit. Ut verò dilucidius rem proponamus, ante omnia ambiguitas, quæ latet in terminis eruenda erit. Proinde nota (1) quod terminus modus sumatur vel latè, vel strictè, latè significat (1) omnem qualitatem quæ subiectum aliquod modificat (2) differentiam specificam, quia hæc *accidens* generis contrahit & restringit ad certam aliquam speciem. Strictè denotat id quod afficit entitatem; neque tamen per se constituit, entitatem. Nota (2) quod tò differre numero pariter sit ambiguū, vel enim quædam dicuntur numero differre, ita ut non simul habeant diversitatem & singularitatem essentia, vel etiã ita differre numero dicuntur, ut simul diversitatè & singularitatè essentia inferant, & hæc propriè & accurate loquendo Philosophis dicuntur numero differre. His E. præsuppositis non quæritur (1) anne modus generaliter sumpto termino differat numero ab ipso ente, hoc enim facillè concedimus, quia qualitas est accidens, accidens verò dicit distinctam entitatem à subiecto cui inest, & hinc modus in hoc sensu rectè dicitur differre numero, ab ente cujus est modus. Quæstio ergò tantum est de modo strictè sic dicto. Neq; quæritur (2) an Ens & Modus differant numero, quatenus tò differre numero non præcisè inferat diversitatè & singularitatem essentia, sed hoc in controversiam venit: an Ens & modus differant numero quatenus hæc Phrasis strictè accipitur, & sic formato statu controversiæ negativè proponimus thesin. Rationem subjicimus talem, quia ad ea quæ dicuntur numero differre dicto modo requiritur ut de se habeant diversam entitatè: & essentiarum singularitatem. At hoc de Ente & modis affirmari nequit, etsi enim modus non sit planè nonens, non tamen propterea statim est Ens reale positivum strictè sic dictum, sed mediat inter hoc & illud, hinc etiã entale

entale rectius quàm Ens dici annotant non pauci vid. *Kesler. in Metaph. photin. Part. general. sect. 2. Princip. 1. Jacob. Martin. lib. 2. de Tribus Elohim c. XI. XIII. & XLII.*

### THES. IV.

Formalis ratio Unitatis non est divisum esse ab alio & incommunicabile.

*Ex Joris.*

§. i. Video non paucos definire unum quod sit affectio entis, quâ illud in se est indivisum, & divisû à quolibet alio. Video alios addere in communicabilitatem ut ita juxta illos Unitas sit affectio quâ Ens denominatur quidditative in communicabile & indivisum Entitative. Ut ut verò horum Virorum autoritas inter eruditos sit satis magna, ut non facîle nostro subjiciatur judicio: Non tamen propterea omnis nobis adempta est philosophandi libertas. Antequam verò ipsum examen harum definitionum aggrediamur, præmonemus, Unum sumi vel negative, seu respectivè, & tunc idem est ac solitarium, vel positivè, absolutè & in se, quatenus in se est indivisum entitative; H. I. non sumitur negative, sed positive. Hoc ergo supposito dicimus (1) omnes illos peccare in communissimum Logicorum præceptum, quod hoc, ut in Definitionibus legitimis nihil sit superfluum, est v. superfluum illud quò detracto reliqua oratio definiti essentiam satis explicat, & hoc fieri in definitione Unitatis existimamus, etiam si 1<sup>o</sup> divisû ab alio & incommunicabile non addatur. Dicimus (2) 1<sup>o</sup> divisum esse ab alio non esse formalem rationem Unitatis, quia ad hanc requiritur ut rem in suo esse constituat, quod faciunt ea tantùm, quæ prima rei alicujus ingrediuntur conceptum: Divisum ergo ab alio si aliquid est, non nisi consequens est unitatis, quocunque etiam modo intelligatur, sive de ente actu, sive de ente possibili, sive non ente. Dicimus (3) eandem esse rationem incommunicabilitatis. Hoc nobis enim fateberis Lector, si examinaveris eam secundum requisita formalis rationis, quæ sunt, ut (1) rem constituat in suo esse (2) ut eam à reliquis distinguat. Neutrum valet de incommunicabilitate, quod si enim queratur, quare unum per se (quod Adversariis unice verum ens) sit unum? Quid respondendum? Anne hoc, quia est incommunicabile. Non puto sic satis expressam esse formalem ratio-

rationem unitatis. Non distinguit unum per se ab uno per acci-  
dens, quia non est reciprocabilis cum suo definito. eg. *N. V.*  
unum per se est incommunicabile inferioribus, & vice versâ, omne  
quod incommunicabile est inferioribus, est unum per se, subsume-  
rem enim hæc Academia est incommunicabilis in inferiora, ergo-  
ne ob id unum per se, absonum! Rectius ergò nostro quidem Judi-  
cio sentiunt, qui unum definiunt per indivisionem in se, quampri-  
mum enim res in se dividitur, non manet una, sed fiunt plures.  
Subscribunt nostræ sententiæ accuratiores ferè omnes *Eustach. à*  
*S. Paulo in Philosoph. quadripartit. part. 3. Metaph. disp. 2. quest.*  
*2. Mendoza Disp. 4. Metaph. subsect. 2. Svarzcius disp. 4. Metaph. sect.*  
*1. num. 14, 15. Scheibl. lib. 1. Metaph. cap. 4. Tit. 2. artic. 3. Stratem.*  
*in Theatro Metaph. From. Stalius & reliqui.*

§. 2. In hoc verò ut conveniunt, ita maximè dissident inter  
se, quid per Indivisionem illam intelligatur, an aliquod positivum  
reale, an verò rationis, an dicat puram negationem, an verò priva-  
tionem. *Avincenna & Scotus teste Svarzcio disp. 4. Metaph. Sect.*  
*1. num. 1.* existimant unum addere supra eas acci-dens quoddam po-  
sitivum ex natura rei distinctum ab ente, per se tamen concomitans  
& consequens ens. *Vasquez, Bonaventura teste Mendoza disp. 4.*  
*subsect. 1. opinantur* formalem rationem Unius esse conceptum po-  
sitivum sola ratione ab ente distinctum, in quam sententiam & ipse  
*Mendoza* maximè proclivis est. *Svarzcius* l. non quidem vult  
esse privationem, habere tamen se ad modum privationis: Alii quos inter  
*Stalius. Jordan. Stratem. & Fromm.* existimant illam indivisio-  
nem non semper esse ad modum privationis, sed interdum ad mo-  
dum puræ negationis. In hac ergò maximè ardua controversia ut  
aliquid dicamus, fatemur præ ceteris nobis placere sententiã Hur-  
tadi, ut tamen accuratius constet, quid potissimum in controver-  
siam veniat, distinguendum erit inter unitatem materialiter & for-  
maliter consideratam h. l. non controvertitur de Unitate quid  
materialiter, sed quid formaliter includat, & in hoc sensu dicimus  
quod illa indivisio rei in se, licet significetur per negationem, tamen  
non sit conceptus negativus, sed positivus nequaquam tamen re, sed  
sola ratione distinctus à conceptu entis. Rationes pro affirmativa  
jam non adducimus, videri poterunt apud *Mendoxam* l.

B

THES.

## THES. V.

### Relatio in suo formali non infert veram ac realem unitorum præsentiam.

Ἐκθεσις.

Nota (1) Relatio est duplex, alia realis, alia rationis, hæc tantum est per operationem mentis, illa datur in rebus citra mentis operationem, h. l. non intelligitur relatio rationis, sed realis. Nota (2) duplex fingitur præsentia, alia quæ est relativa, alia quæ realis, h. l. non illa, sed hæc intelligitur. Contrarium docet Keckermann. lib. 1. System. Log. cap. 12. quando ita definit Relationem: Relatio est duorum pluriumve unio. At, si hoc, relata non possunt non esse sibi semper præsentia, quid verò fiet, si filius hinc Rostochii degat, Pater Romæ, anne tunc sublatus est respectus inter Patrem & filium? Vix crediderim Adversarium hoc concessurum, Paternitas enim & filiatio non dependent ex præsentia filii aut Patris, ita, ut præsentibus hisce Pater sit Pater & filius filius, absente verò Patre expiret relatio. Taceo præterea quod adversa pars ne ullum quidem solidum argumentum proferre possit pro confirmanda sententia vid. prolixius Meissn. P. 1. phil. sobr. s. 1. cap. 4. quæst. 1. Galou. Metaph. Divin part. spec. cap. V. parag. V.

## THES. VI.

### Non esse in alio tanquam in subjecto non est proprietas Substantiæ.

Ἐκθεσις.

Communiter hæctenus Logici sex proprietates Substantiarum numerarunt, ut, non esse in subjecto, Synonymice dici de suis inferioribus, significare ἴδιόν, nihil contrarium esse substantiis, non recipere magis & minus, in se recipere contraria. Verum ut mittamus cætera, monemus, ἴδιόν non inesse in alio non rectè referri inter proprietates. Facile, spero nobiscum senties, dum modo naturam proprietatum accuratius examinaveris; hæc verò consistit in eo, ut non ingrediantur ipsam essentiam seu primum rei conceptum, sed dicant aliquid quod ex constituta jam rei essentia sequitur, eg. risibilitas in homine est proprium ipsius, & hinc non

con-

constituit primò essentiam hominis, quippe hæc constituitur per  
tò rationale esse, & ex hoc modo constituta essentia sequitur de-  
mum hominem esse risibilem, scil., quia homo est rationalis, hinc  
non potest non esse risibilis. Expende ergo tecum ane etiam ejus-  
dem conditionis sit, tò non inesse in alio respectu substantiæ, cujus  
est risibilitas respectu hominis, & non facile affirmabis; quid enim  
tò non inesse in alio aliud dicit, quàm per se subsistere, nisi quod  
hoc positivè, illud negativè exhibeat essentiam. Nobiscum sentit  
*Calov. in Metaph. divin. Part. special. cap. 2. p. 19. Bechmann. in  
Instit. Logic. l. 1. cap. 6. §. 40. Heereboord. in notis ad Logic. Burgers die.  
lib. 1. cap. 4. quæst 9.*

### THES. VII.

In brutis non cadit habitus propriè sic di-  
ctus.

Ἐκ θεοῦ.

Videntur quidem observat: speciales svadere admittendos  
esse habitus in brutis, absit tamen, quod omne, quod speciem habi-  
tus habet, statim assumendum sit pro habitu verè ac propriè sic di-  
cto. Vulpeculæ tribuunt prudentiam, eò quod glaciæ admoveat  
aurem ac talem formet Syllogismum: Quicquid strepit movetur,  
quod movetur, fixum non est, quod fixum non est, cedit, ergò sub-  
mergar, si ire pergam. Sed vix crediderim adeò nobile ratiocini-  
um cadere in vulpeculam, quia subjectum habituum sunt potentiæ  
quæ ad agendum sese indifferenter habent; Hæ verò, quia in bru-  
tis non cadunt, neque ratio habituum propriè sic dictorum ipsis tri-  
bui potest. Varias præterea imò nonnunquam satis ridiculas bruta  
edunt actiones, sed magna ex parte eas ex mera asvetudine profi-  
cisci, non facile negabit quispiam. Si quid ergò in brutis, quod ra-  
tionem prudentiæ habere videtur, occurrit, potius analogum  
quid est quàm ipsa prudentia. Confer *Svarezius disp. 44. Metaph.*

### THES. VIII.

Tò multiper se & formaliter neq; univer-  
salitatem, neq; particularitatem importat.

B 2

Ἐκ θεοῦ.

D

Ἐκθεσις.

Sunt Logicorum quidam qui illud inter signa particularia referunt: Accuratus verò videntur rem tetigisse qui statuunt terminum multi abstrahere ab universali & particulari & neutrum præcisè in suo formali inferre, ut adeò non statim particularitas colligi possit, nisi ratio materiæ hoc ipsum svadeat. Confer *Bechm. in Institut. Log. lib. 2. cap. 5. S. 9.*

## THES. IX.

Formæ physicæ, quas materiales vocant, per motum educuntur è potentia materiæ.

Ἐκθεσις.

Quàm acriter hæcenus disputatum sit inter Philosophos de Origine formæ materialis, testantur satis scripta omnium oculis hæcenus exposita. Scholastici omnibus viribus educationem formæ è potentia materiæ defendunt. Nos non quidem hoc loco Scholasticorum sententiam defendendam suscipiemus putamus tamen hanc loquendi formulam aliâ ratione omninò salvari posse.

## THES. X.

Formalis ratio gigantum consistit in exuperantia proportionata communis staturæ humanæ non quidem determinata, nihilominus nec supra fidem.

Ἐκθεσις.

Quamvis ad punctum præcisè statura humana determinata nõ sit, nihilominus eos qui communè hominum staturâ, quæ communiter habetur 6. pedû plus justo excedunt, gigantes dicere solemus.

Horum verò exuperantiam etsi certis limitibus determinare non possimus, minimè tamen eo adduci possumus ut credamus tantæ proceritatis quosdam extitisse, quantæ communiter adducuntur, quin potius cum *Atbanasio Kirchero, Laurenberg & aliis* pro fabulis & anilibus deliramentis eos habeamus. Hujus ordinis est cadaver illud quod adducitur à laudato *Kircher. Tom. 2. Mundi subterranei*

B

C

ranci lib. 8. Sect. 2. c. 4. ex *Boccatii Genealogia Deorum*, quod 200. cubitos longitudine absolvit, quoscubitos, si reduxeris ad pedes habebis 400, hæc longitudo si conferatur cum mensura ordinaria hominis, habebit sese ut linea C. D. octies sumpta ad lineam A. B. simpliciter talem: vix credibile est membra in adeò vasto corpore proportionem habere potuisse, & si habuere, quanta quæso capitis, quanta pedum, imò quanta iliorum magnitudo fuerit, quippe horum magnitudo à Medicis communiter septuplo major habetur quàm ipsum corpus. vid. pluribus Kircher, lc.

## THES. XI.

### Cælum est aëreæ naturæ.

Ἐκ θεοῦ.

Supposito Cælo materiam esse tribuendam, quia est verum corpus naturale, quæritur inter Philosophos, qualis ipsi sit tribuenda, & hic varias videbis Philosophorum sententias. Anaxagoras uti meminit *Diogenes Laërtius in vita* ejus, cum aliquando lapis de cælo cecidisset, dixit cælum ex lapidibus esse compositum. *Sperlingius lib. 3. Institut. c. 3. quæst. 1* & alii putant eam à natura elementari esse distinctissimam *Kyperus in Institut. physic. Tom. 1. p. 30. Schottus ad Iter Extaticum Kircheri* contendunt Cælum esse aëreæ naturæ. Alii aliam Cælo tribuunt materiam, quorum sententias magna ex parte collegit S. hot. ad iter extaticum Kircheri Nobis ex his omnibus placet sententia Kyperi & contentientium, cum natura Cæli optimè conveniat cum natura aëris. Aer est corpus diaphanum, diaphanum quoque est Cælum, aër est corpus fluidum, fluidum quoque est Cælum, uti ex motu corporum Cælestium apparet. Adde vix solidum ab adversa parte adduci argumentum, quo infringi possit Thesis nostra: Objic. Cælum habere in hæc inferiora influxum qui aëri non competit. Sed respond. influxus Cæli non nisi figmentum est, quia omni destituitur medio, cujus beneficio virtutem suã communicare possit inferioribus. Objic. (2) Cælum dici in sacris *στένωμα* quod nõ convenit cum natura aëris R. (1) in fonte dicitur *ὑπερ* quod nihil aliud notat quam expansum. (2) Terminus *στένωμα* nihil aliud infert quàm constantiã, nequaquã verò soliditatem confer *Holwig part. secunda physic. Sect. 2. cap. 2. p. 86.*

B 3

THES.



## THES. XII.

Globuli diversæ quantitatis & ponderis ex eadem altitudine eodem temporis momento demissi, sibiq; relictî, inæqualiter centrum petunt.

Ex Jerns.

Non pauci hæctenus fuere qui existimarunt duo corpora diversi ponderis & quantitatis ex eadem altitudine demissa simul descendere ad terram eodem Physico temporis momento: Et certe nisi magna diligentia & circumspectio adhibeatur, videtur hæc sententia non omni carere fundamento. Facile verò nobiscum senties si consulueris experimenta quæ suppeditat *Ricciolus in Almagesto lib. 9. Sect. 4. clas. 4.* quorum nonnulla adducemus. Assumpsit globum argillaceum 11. unciarum, plumbeum 1. unc. & 7. Dacm. ex quibus plumbeus terram petiit distante adhuc argillaceo integrum pedem à terra. Assumpsit iterum argillaceum 13. unc. & argillaceum 6. unc. 4. drachm. & iterum gravior cecidit in terrâ distante adhuc leviori pedes 8. à terra. Adhibuit globum argillaceum vacuû 20. unc. & solidum 45. unc. & ecce gravior cecidit in terram distante leviori sedecim pedes. Causam hujus diversi effectus omnium optimè judicari posse censemus ex proportione quam servant corpora in decidendo.

## THES. XIII.

Agnus scythicus non nisi planta est.

Ex Jerns.

De hac planta passim occurrit apud Autores, ut. apud *Kircher. de Arte magnetica, Scaligerum, Olearium* & alios, nos hac vice subjiciemus descriptionem quam habet *Scaliger*, cum aliorum jam non sint ad manus: ita verò ille *Exercit. 181. Sect. 19.* Tartarorum horda primaria Zavolha est vetustissimæ nobilitatis commendatione, in eo agro ferunt semen feminis melonis simillimum, sed minus oblongum. Ex eo satu planta ~~scythica~~, quam *Boramet.* i. e. agnum vocant, crescit enim agni figura ad pedum ferè tertium altitudinem, quem pedibus unguis auribus, toto capite præterquam

quam cornibus repræsentat. De hoc ergo Agno quæri solet inter Physicos quo loco habendus sit, num pro planta, an verò pro animali imperfecto, postèrius tribui solet *Nirenbergio* & aliis nos plantam esse dicimus, non animal plura enim requiruntur ad animal quàm externa figura, quod notissimum.

#### THESIS. XIV.

Diabolus cum sagis verè quidem congregi, nequaquam verò hominem verum generare potest.

Ex Jenc.

Prolixum quidem proposita thesis requirit examen, utpote quæ à multis impugnari solet, breves tamen jam ducendæ sunt lineolæ cum Tempore præclusi hæc deducere prolixius non possimus. Nota ergò (1) quod concedamus congressum, non generationem, cum non omnem congressum statim sequatur generatio. Congressum vero admittendum esse svadet tum ipsarum Sagarum confessio libera sapius, tum ratio assumendi corpus, quamvis negari non possit congressum talem nonnunquam esse merè phantasticum. Generationem autem quippe quæ extractio corporis naturalis misti, quæ sibi simile producit, nullatenus concedendam esse putamus. Nota (2) dici Diabolum verum hominem generare non posse. distinguend. enim inter id quod speciem hominis refert, & quod verè homo est. Diabolum ex femine & sanguine matè: NO corpus aliquod elaborare posse existimamus, verum tamen hominem generare nequaquã. Confer *Sperling lib. 2. Instit. c. 4. quasi. iii.*

#### THESIS. XV.

Calor non est qualitas novam inferens entitatem à materia realiter distinctam,

Ex Jenc.

Superfluum imò ridiculum videtur aliis quærere cur ignis calefaciat, & in quonam consistat formalis ratio caloris, quod si enim ad eos deferretur hæc quæstio, ridendo forte responderent cum *Watbsono* si quis quærat quare sanguis maximè excoctus per naturam sit rubicundus, cur terra propter gravitatem in medio mundi

mundi quiescat, cur plumæ propter levitatem ascendant, cur mæ-  
gnes moveat se ad polum per naturam, cur trahat ferrum per natu-  
ram, dicendum, quod sit quæstio cum responsione, est enim hæc  
magnetis natura, ut tale principium motus in se habeat, uti gra-  
vium natura est deorsum moveri, & ignis calefacere propter calorem.  
Ast si hoc respondisse sufficit, etiam rusticus intricatissimas  
quasque quæstiones facile solveret hac ipsâ responsione; Verùm an  
etiam Philosophi sit in his acquiescere, limatioris iudicii viris iudi-  
candum relinquimus. Sed ad rem! Calor. à plerisque definitur  
quod sit qualitas prima activa quâ subjectum suum calidum est &  
alia calefacit *vid. Kyper. Tom. 1. p. 410. Spærling. Instit. phys. lib.*  
*4. c. 6.* Nobis hæc, salvo aliorum iudicio, non placent, cum non sa-  
tis explicent naturam definiti, non minus enim obscurum est, quid  
sit calidum esse, quàm quid sit calor. Dicimus calorem esse nudum  
materiæ motum, quo particulæ illæ talem sensationem efficiunt  
quæ vulgò ad calorem refertur.

### COROLLARIA.

- |  |  |
|--|--|
| I. Philautia in se spectata est<br>virtus.         | IV. Cancer non est retrogradus.  |
| II. Angeli sunt compositi ex ma-<br>teria & forma. | V. Spongia non trahit aquam.   |
| III. Animal ut sic est irrationale.                | VI. Globus plûbeus unius uncia<br>gravior est globo cereo<br>centumlibrarum. |

**E**X minimis Natura solet producere magna.

*Ars heic ex parvis magna venire facit.*

Germani Cathedram scandunt: Germana sequantur

*Premia: germano pectore fausta precor.*

Ita fratribus germanis Lütkeannis publicè  
disputantibus congratulatur.

M. Franciscus Wolfius,

Log. P.P. & p. t. Rector.

**M**agnus Rostochi Lutkmannus floruit olim

Mellisonans mystes, grande Decus Sophiæ.


Ingenuos quoque Lutkmanos nunc tempora mittunt

Florida, qui specimen dant grave mactæ! suum.

*Disputantibus Dnn. fratribus gratu-  
labundus adj.*

Georgius Fellerus, Berl. March.





*ranci lib. 8. Sect. 2. c.*  
quod 200. cubitos lon  
duxeris ad pedes habe  
cum mensura ordinat  
o cū sumpta ad linea  
bile est membra in ad  
bere potuisse, & si hab  
pedum, imò quanta  
horum magnitudo à  
habetur quàm ipsūm

## Cœlum est

Supposito Cœlo  
verum corpus natural  
ipsi fit tribuenda, & h  
tentias. Anaxagoras u  
ejus, cum aliquando la  
ex lapidibus esse comp  
quæst. 1. & alii putant  
distissimam *Kyperus* in

*ad Iter Extaticum Kircheri* co  
Alitiam Cœlo tribuunt mat  
parte collegit Schot. aditer ext  
placet sententia *Kyperus* & co  
mè conveniat cum natura aëri  
phanum quoque est Cœlum, a  
est Cœlum, uti ex motu corpe  
solidum ab adversa parte addu  
Thesis nostra: Objic. Cœlum  
qui aëri non competit. Sed res  
tum est, quia omni destituit  
suâ communicare possit inferi  
eris *σεπέσμα* quod nō conveni  
citur *קרקע* quod nihil aliud no  
*σεπέσμα* nihil aliud infert quā  
tem confer *Holwig part. secu*

*Genealogia Deorum,*  
vit, quos cubitos, si re  
ongitudo si conferatur  
ebit sese ut linea C. D.  
iter talem: vix credi  
ore proportionem ha  
qua so capitis, quanta  
nitudo fuerit, quippe  
uniter septuplo major  
tribus Kircher, lc.

## L. uræ.

tribuendam, quia est  
er Philosophos, qualis  
is Philosophorum sen  
*ogenes Laërtius in vita*  
cidisset, dixit cœlum  
*lingius lib. 3. Instit. c. 3.*  
elementari esse distin  
*Tom. 1. p. 30. Schottus*  
um esse aëreæ naturæ.  
n sententias magna ex  
i Nobis ex his omnibus  
um natura Cœli opti  
pus diaphanum, dia  
uidum, fluidum quoq  
m apparet Addo vix  
n, quo infringi possit  
ec inferiora influxum  
Cœli non nisi figmen  
jus beneficio virtutem  
(2) Cœlum dici in sa  
ëris R. (1) in fonte di  
nsūm. (2) Terminus  
equaquā verò solidita  
*St. 2. cap. 2. p. 86.*

THES.

